



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. XVIII. De Confessis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

num. 9. ex quo generaliter infert, quod quando Jure requiritur certus annorum numerus, debeat totum tempus esse completum; nec ultimus annus inchoatus haberi pro completo. Ratio autem, cur contra triennalem beneficij possessorem sequestratio fieri nequeat, illa communiter affertur, quia jura iniquam esse, judicârunt, ut possessor, qui pacifice per integrum triennium beneficium possedit, priveretur suâ possessione, ideo solum, quia una sententia contra ipsum in Romana Curia lata est, à qua est appellatum; nam, licet aliâ pro ipsa sententia in favorem Actoris præsumatur: quia tamen ipse tanto tempore tacuit, præsumptio etiam est contraria pro triennali possessore, per quam prior illa præsumptio pro sententia eliditur. *Barbos. hic. n. 17.*

Notandum sextò. Ordinarius loci habet facultatem sequestrandi beneficium litigiosum, etsi lis non fuerit agitata coram illo, sed in Rota Romana, à qua prima sententia lata fuit, & quamvis ad illum institutio non pertineat; & sic est hic casus specialis, in quo in causa ad Curiam devoluta Ordinarius, etsi inferior, se immiscere potest, *Gl. hic V. Loci Ordinarium.* Debet autem beneficium sequestrari apud personam idoneam, quæ debitam curam Ecclesiæ, seu beneficij gerat, & ipsius fructus conservet. æquum etiam est, ut sequester habeat Ordinem, quem requirit beneficium.

Gl. hic V. Idoneam. imò *Abb. ibid. n. 10.* putat, id esse necessarium.

X X. Notandum septimò, Sequester debet non tantum rem, sed etiam fructus ejus restituere victori in causa, si existat; vel eorum æstimationem, si non existat. *Gl. hic V. Restituat. V. Fructibus.* Si tamen conservari non possent, eos vendere debet, & pretium apud se interim retinere. *Abb. ibid. n. 14.*

Notandum octavò. Litigans si impediatur sequestrationem talis beneficij, vel si occupet fructus sequestratos, ultra excommunicationem, quam ipso facto incurrit, etiam cadit jure suo, quod habebat in causa, ut habetur in textu: si verò alius, qui non est pars litigans, impediatur sequestrationem, vel occupet fructus, ipso facto est excommunicatus, nec debet absolvi, nisi omnia restituerit in manus sequestri. *Gl. hic in casu.* Neque potest sequestratio hujusmodi beneficij revocari, vel impediri per cautionem oblatam à possessore beneficij. *Gl. hii V. Restituitis; & Barb. n. 37.* Denique non potest contra sequestrationem opponi, quod sententia lata contra possessorem fuerit nulla; aliâs facile impediri posset sequestratio: quamvis opponi possit exceptio, per quam negatur, jurisdictionem habere eum, qui tulit sententiam, quia acta per Judicem incompetentem non sunt valida, nec validari possunt. *Gl. fin. hic. & Abb. n. ult.*

T I T V L V S XVIII. DE CONFESSIS.

I.

RActenus dictum est de ijs, quæ pertinent ad formam, & modum ordinandi Judicij. Deinceps agendum erit de ordinando, seu instruendo Judicio per merita causæ, sive per probationes, tam in genere, quam in specie. Sed, quia per confessionem Rei in Judicio relevatur Actor ab onere probandi; cum propria confessio superet omnes alias probationes, ita, ut ubi illa adest, non sit necessaria alia probatio: ideo ante Titulum de probationibus, rectè agitur de confessis, aut confessionibus. Idem Titulus existit etiam in Sexto. Est autem Confessio ejus, quod ab adversario intenditur, in Judicio, vel extra Judicium, facta asseveratio: duplex est enim confessio, una judicialis, quæ fit in jure, seu Judicio; altera extrajudicialis, quæ fit extra jus, seu Judicium: de utraque hic agemus, sed prius de Judiciali, de qua potissimum hoc Titulo agitur.

S. I.

Derequisitis ad confessionem Iudiciale[m], & quibus modis ea fiat?

II. Assertio 1. Plura requiruntur ad confessionem in Judicio factam, ut ea valeat, & effectum habeat, ac præjudicet consentienti; ut tradit *Gl. in c. ult. V. Confessis. h. t.* Nam primò, necesse est, ut ea fiat coram Judice suo, & competente: nam, sicut sententia irrita est, quæ fertur à Judice incompetente, sic & confessio coram ipso facta, ita, ut ex tali confessione

Tomus II.

Reus condemnari nequeat, *c. At si Clerici; 4. in princ. supr. de judic.* quia habet solum vim confessionis extrajudicialis, quæ plenè non probat, quamvis talis confessio alios effectus non judiciales producere possit; ut dictum supra *tit. I. n. 39.* non tamen sufficit, ut confessio fiat coram Judice competente, sed in super requiritur, ut ea in Judicio fiat coram Judice sedente, pro tribunali, in causis requirentibus plenam causæ cognitionem; ut docet *Abb. in cit. c. At si Clerici; n. 6. & in c. fin. n. 17. h. t. & Maranta de ord. judic. p. 6. tit. de confessione n. 30.* notat tamen *Hiltrop. in process. jud. p. 3. tit. 17. de confess. n. 4.* usu receptum esse, quod Judex non solum in præparatorijs, sed etiam in decisorijs, possit extra Judicium, & domi suæ responsiones partium excipere, licet sententiam ferre, non nisi in loco Judicij possit. Confessio verò extra tribunal facta in Judicio summario valet.

Quod si confessio fieret coram Notario, extra Judicium, non haberet vim judicialis confessionis, etiam alterâ parte præsentem, si Judex non ad sit. *Gl. in l. Cum scimus; 21. V. Confessio. C. de agricol. & censit. l. 11.* Notarius enim non habet potestatem recipiendi tales actus judiciales, sine mandato, & commissione Judicis. *Marant. c. l. n. 30. Hiltrop. c. l. n. 6. Barb. in cit. c. ult. n. 8. h. t.* addit tamen *Hiltrop. c. l. n. 5.* ex recepta consuetudine, confessionem apud Protocollum coram Notario receptam censeri judicialem, quia plerique actus legitimi, qui in Judicio coram Judice expediuntur, etiam coram Notario hodie expediti possunt, & eandem vim habent. Confessio verò coram arbitro facta valet, & censetur judicialis, si tamen arbitri

ter processit, servato juris ordine, ad instar Judicis, cum arbitria sint redacta ad similitudinem Judiciorum. l. 1. ff. de recept. arbitr. Secus est, si confessio facta sit coram arbitratore; est enim tantum extrajudicialis, nec valet, ut judicialis. *Marant. c. l. n. 31. Mascard. de probat. vol. 1. concl. 348. n. 14. & 15.*

III. Secundò requiritur ad confessionem judicialem, ut sit de re certa. l. *Certum; 6. in princ. ff. de Confess.* Confessio enim incerta confitenti non præjudicat, quia confessio parit sententiam: ergo, sicut hæc debet esse certa, ita & confessio. *Gl. ibid. V. Certum; 6.* Unde Reus urgeri potest, ut certum confiteatur, vel, qui rem confessus est, ut certam quantitatem fateatur. *cit. l. Certum; §. 1.*

Tertiò requiritur, ut sit de re, quæ neque rerum naturæ, l. *Confessionibus; 14. ff. de interrogat. in jur. faciend.* neque juri adversetur; ut si quis confiteatur, Titium v. g. esse filium suum, qui tamen majoris ætatis est, quam ipsemet sit. Vel si quis confiteatur, se occidisse hominem, qui adhuc vivit: vel si femina confiteatur, se liberos habere in potestate, quod est contra §. *Femina; Inst. de adopt. Abb. in cit. c. ult. n. 16. h. t. Vvesenb. in paratit. ff. h. t. n. 3.*

IV. Quartò, ad confessionem judicialem requiritur, ut fiat præsentè adversario, vel saltem ejus Procuratore. *cit. l. Qui certum; §. Siquis absens. ff. h. t. quia, sicut judicatum non tenet, nisi inter præsentès, l. de unoquoque; 47. ff. de re judic.* ita nec confessio, modò fuerit in Judicio ab adversa parte acceptata; alioquin non præjudicat confitenti. *Gail lib. 1. obs. 55. n. 8. Hiltrop. c. l. n. 12. ubi n. 13.* addit, quòd confessio sic acceptata, præsertim in specie, fiat irrevocabilis.

Volunt tamen quidam, confessionem etiam factam, parte adversa absente, effectum suum habere, & præjudicare confitenti, si à Judice nomine absentis in Judicio fuerit acceptata, vel etiam ab alio, etiam si mandatum non habuerit ad acceptandum, modò absens postea etiam eam ratam habeat. *Mascard. vol. 1. de probat. concl. 348. n. 43. Zes. ff. h. t. n. 4.* Non tamen requiritur, ut confessio etiam in Judicio fiat, cum causæ expressione, sed etiam sine illa valet, & inducit plenam probationem; quia in Judicio quasi contrahitur. l. 3. ff. de pecul. *Abb. in cit. c. ult. n. 14. h. t.* & quia confessio in Judicio præsumitur consul- tæ, & sponte facta. *Mascard. concl. 345. n. 16. & 17. Barb. in cit. c. ult. n. 11. h. t.* quamvis nonnulli etiam ad confessionem judicialem causæ expressionem requirant, eò quòd aliàs confessio sit incerta. *Lanfranc. in praxi. c. 7. n. 26. Vvesenb. in paratit. ff. h. t. n. 5.*

V. Quintò requiritur ad confessionem judicialem, ut fiat sponte, & liberè, & non vi, aut metu sit extorta. c. 1. *caus. 15. q. 6.* ubi etiam dicitur, quòd confessio, quæ ex necessitate fit, fidem non facit. Unde confessio metu tormentorum, nullis præcedentibus legitimis indicijs, facta, vel in ipsis tormentis, vel à detento in carcere nimis duro, non præjudicat confitenti; quia non valet, nec fidem meretur. l. 1. §. *D. Severus. & §. Questioni. & §. Siquis ultro. ff. de question. l. Qui in carcerem; 22. ff. Quod met. caus. Abb. in c. ult. n. 11. h. t. Mascard. de probat. concl. 353. n. 1.* nisi perseveraverit in confessione post tormenta, eamque non revocet, nec appellet; vel si post confessionem in tormentis factam, ducatur ad locum publici tribunalis; ut ibi crimen iterum sponte confiteatur. *Abb. in cit.*

c. ult. n. 12. h. t. *Mascard. c. l. n. 9. & 10.* Sed debet plura alibi.

VI. Sextò requiritur, ut confessio in Judicio fiat ex certa scientia, nam, si ignorans aliquid confiteatur, si quidem in facto erret, illud usque ad sententiam revocare potest, dummodo talis error facti, non latam sententiam, ostendi, seu probari possit; prout sumitur ex c. *Ex parte 3. & ult. h. t.* Nam, cum inter Abbatem, & Conventum S. Marci, ex una parte, & Victorinum, nomine uxoris suæ, ex altera parte, lis in Judicio fuisset, Oeconomus, seu Syndicus Monasterij, quædam per errorem facti confessus fuit, ex quibus sibi præjudicium generari posse, Abbas, & Conventus timebant. Quare re delatà ad Papam Gregorium IX. respondit, quòd negotio, sine causâ nondum finitâ, error facti nemini nocere, nec ex eo præjudicium alicui generari debeat, dummodo talis error, ante finem litis, probetur.

VII. Ubi Notandum primò. Etsi error juris ordinariè non excuset, l. *Error; 8. & l. seq. ff. de jur. & facti ignor.* error tamen facti in Judicio commissus à quolibet etiam privato revocari potest, dummodo sponte latam sententiam probetur; prout sumitur ex hoc c. & tradit *Gl. fin. ibid. & ex c. 2. de integr. restit. in 6. quia, qui errat, non fateatur, nisi jus ignoret. l. 2. & ibi Gl. V. Qui errat. ff. h. t.* est autem hoc remedium juris commune, & ordinarium, quòd non solum Ecclesijs, & Minoribus, sed omnibus competit. l. *Error; 7. c. de jur. & facti ignor.* ubi dicitur, quòd error facti, nondum finito negotio (per transactionem, sententiam, vel juramentum, *Gl. ibid. V. Finitò.*) nemini nocet, nisi probetur contrarium. *Gl. ibid. V. Nocet.* de quo plura dicta sunt supra lib. 1. tit. 41. n. 57. & 58.

Notandum secundò. Confessio Syndici, seu Procuratoris Ecclesiæ, vel Monasterij facta in Judicio eisdem præjudicat, etiam si error facti, non juris intervenit, nisi à Domino revocetur, & probetur error ante finitum negotium; ut colligitur ex hoc c. quemadmodum enim confessio propria revocari potest, propter errorem facti, ante finitam causam, *cit. l. Error; 7.* ita etiam confessio Procuratoris. *Abb. hic n. 3. & Imol. n. 2.* Similiter etiam confessio tutoris, curatoris, Prælati, vel alterius legitimi administratoris facta in Judicio, si non sponte, & ultro, sed vocatus ad Judicium, & legitime interrogatus à Judice respondere debeat, & aliquid fateatur in Judicio, præjudicat pupillo, vel minori, vel Ecclesiæ, aut alteri communitati, cujus nomine agit. *Arg. l. Si se non obtulit; 4. in princ. ff. de re judic. Abb. hic n. 10.* Potrò, quando confessio Procuratoris facta in Judicio noceat Domino, vel non, dictum est supra l. 1. tit. 38. n. 78. & aliquot sup.

VIII. Notandum tertio. Circa modum, quo probari debet error facti commissus in Judicio, distinguendum est: nam, vel quis vult revocare confessionem sui Procuratoris, vel Administratoris tunc sufficit ad revocandam confessionem illius probare, rem aliter se habere; quia Procurator, vel administrator de alieno facto confessus fuit: & locum hic habet regula juris 47. in 6. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur; & Error in alieno facto probabilis est. *Gl. in l. 2. V. Qui errat. ff. h. t. Lanfranc. in praxi. c. 7. num. 32.* Excipi debet, nisi sit tale factum, de quo ex officio tenebatur inquirere, illudque nôsse debebat, tunc enim

enim non sufficit probare, rem aliter se habere; quia præsumptio stat contra ipsum. *Arg. c. Innocentius; 20. & ibi Gl. V. Ignorantiam; de elect. Abbas in cit. c. ult. n. 23. h. t.* Vel quis vult revocare propriam confessionem; & tunc, vel confessio facta fuit circa factum alienum, & admittitur probatio, per quam ostenditur, rem aliter se habere, sicut supra dictum. Vel erronea confessio facta fuit circa factum proprium, v. g. contractum à se initum; & tunc rursus, vel extra Judicium, vel in Judicio: priore casu, si is, qui allegat, se per errorem confessum esse, certat de damno evitando, adversarius verò de lucro captando, sufficit probare, rem aliter se habere: aliàs verò non, sed debet probari, error; quia hic in facto proprio non præsumitur.

Posteriore verò casu, si error sit commissus in Judicio circa confessionem in facto proprio; tunc ante litem contestatam, quando agitur de preparatorii Judicii, potest confessio revocari, etiam non probato errore, & sufficit probare, rem aliter se habere. *Arg. l. De arat; 11. §. Qui iusto. ff. De interrog. Act.* Si verò agatur de decisorii causæ, probari debet error, quia hic non præsumitur in facto proprio: nisi adsint circumstantiæ, ex quibus præsumi possit, consentientem errasse; ut, si probet, se suasionem, aut metu inductum fuisse ad confitendum. *Arg. l. 1. §. fin. ff. Quando Act. de penul. est annal. vel ab longinquitatem temporis, Arg. l. Peregrè; 44. ff. De acq. possess. vel si negotium sit perplexum, seu nimis intricatum. Abb. in cit. c. ult. in fine. & Inol. ibid. n. 15. ff. h. t. Lanfranc. c. l.*

IX. Septimò requiritur ad confessionem Judiciale, ut sit profecta à majore XXV. annis: nam confessio pupilli, seu impuberis, sine tutoris auctoritate facta, ipso jure non valet, *l. Certum; 6. §. In pupillo; ff. h. t.* cum sine tutoris auctoritate obligari nequeat, *tot. tit. ff. De auctorit. tut. & multò minùs valet confessio facta ab infante, seu qui minor est septennio, etiam cum tutoris auctoritate; quia illa ætas quidquid videt, ignorat: idèoque in Judicio vocari non potest, l. 4. ff. De in jus vocand. minoris autem XXV. annis, sed adulti, sive puberis confessio facta, sine curatoris auctoritate, valet, sed læsus intra quadriennium restituitur in integrum, *cit. l. Certum; §. In pupillo; ff. h. t. Gl. in cit. c. ult. V. Confessus; ff. eod. Abb. n. 6. & 7. VVesemb. ff. eod. n. 3. Hiltrop. cit. tit. 17. §. De confessis; n. 30. & duobus seqq. qui tamen ibid. §. De effectib. Judic. confes. n. 27. addit, valere Minoris confessionem, si curatorem non habeat: secus, si habeat; tunc enim planè æquiparatur pupillo. *l. Si curatorem; 3. C. de in integr. restit. min.* Denique non valet confessio facta, non ex proposito, sed calore iracundiæ, nec præjudicat contententi. *Maram. c. l. n. 10. sicut nec confessio falla. l. 5. C. De jur. & fact. ignor.***

X. Assertio secunda. Confessio in Judicio fit, vel expressè, cum quis verbis expressis, & voce propria confitetur factum, aut crimen, vel tacitè, sive ipso facto, *c. Cum super; 23. junct. Gl. V. Confessus est; de offic. deleg. sic enim, qui instrumentum coram Judice producit, censetur confiteri omnia, quæ in eo continentur, cum non possit unam partem recipere, & alteram rejicere; ut tradit Innocent. in c. Cum venerabilis; 6. n. 3. & 4. de except. & in c. Olim; n. 5. de censib. Abb. in cit. c. Cum super; num. 7. sicut etiam, qui aliquem actum liberè exercet, censetur confiteri omnia, quæ*

pertinent, aut consecutiva sunt ad illum actum, secundum doctrinam Innocentii in cit. c. Cum venerabilis.

XI. Præterea ad tacitam confessionem pertinet, quando quis ex juris interpretatione, seu dispositione habetur pro confesso. Exemplum talis confessionis in Judicio extat in c. Si post præstitum; 2. h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. ita rescribit: Si Reus, vel procurator ipsius, post præstitum juramentum calumniæ, aut dicendæ veritatis, positionibus ab Actore propositis, interrogatus, & à Judice jussus, absque rationabili causa, respondere recuset, seu nolit, aut contumaciter se absentet, haberi debet, quoad illas positiones (ad quas respondere non vult) pro confesso. Si verò Reus, antequam à Judice respondere jussus fuit, se contumaciter absentet, tunc pro confesso haberi non debet, sed contra eum, tanquam contumacem procedendum est, videlicet per excommunicationem, vel immisionem Actoris in possessionem bonorum, juxta c. ult. §. In aliis supr. Ut lite non contest. &c. vel etiam per captionem pignorum, vel aliam multam compelli potest ad comparandum. *Gl. fin. hie* Ratio prioris partis est, quia tacens interrogatus, eo loco, & tempore, quo debet respondere, videlicet à Judice in Judicio, censetur confiteri, & taciturnitas ejus habetur pro consentu. *Reg. Juris; 43. in 6. secus, si eo loco, & tempore interrogetur, quo respondere non debet: tunc enim tacens non habetur pro confesso, sed habet locum regula illa juris 44. eod. in 6. Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur: concordat Reg. Juris; 142. in ff. Ut si debitor interrogatus à creditore, extra Judicium, an debeat, vel an solverit, vel etiam in Judicio, antequam Judex respondere eum jussit, non responderit, non habetur pro confesso. *cit. c. 2. h. t. in 6. ex quo jam patet ratio posterioris partis.**

XII. Ubi notandum primò. Quamvis, si Reus positionibus Actoris jussus respondere contumaciter nolit, seu id recuset, habetur pro confesso, admittitur tamen contra hanc juris præsumptionem, quæ taciturnitas habetur pro confessione, probatio in contrarium: ut si ostendat Reus, positiones ab Actore propositas esse superfluas, vel impertinentes, quæ probatæ non relevarent; vel obsevas, vel sibi invicem contrarias, vel se per errorem pro talibus illas habuisse, vel ob aliam rationabilem causam, se ad illas respondere noluisse: tunc enim non tenetur respondere, nec habetur pro confesso; si sententia nondum lata sit; ut tradit *Gl. in cit. c. 2. V. Absque rationabili causa; h. t. in 6. Arg. c. ult. extra h. t.*

Notandum secundò. Licet articuli positionales in causis civilibus, post litem contestationem, si Reus contumaciter non respondeat, regulariter habeantur, & acceptari possint pro confessis, juxta *cit. c. 2. h. t. in 6.* idque tam in articulis propositis ab Actore, quam defensionalibus Rei obtinet; ut notat *Gl. ibid. V. Reus; & Franc. n. 5.* & sic constitutio hæc pœnalis loquens de Reo, etiam locum habet in Actore, quia est eadem ratio, & ista sunt correlativa: nam in Judicis æqualitas est servanda; & tam Actoris, quam Rei æquitas esse debet conditio. *Arg. c. Non licet; 32. de R. I. in 6.* id tamen non procedit in causis criminalibus, in quibus contumaciter respondere recusans non habetur

pro confesso, quia in hujusmodi causis probationes luce meridiana clariores requirantur. *l. fin. C. de probat. Gail. lib. 1. de pace publ. c. 15. n. 1. 2. & 5. Camill. Borell. in summa decision. tom. 1. tit. 46. de contumac. n. 31. Barbos. in Collect. in cit. c. 2. n. 9. h. t. in 6.*

Notandum tertio. Ad hoc, ut positiones contumaciter non respondentis in effectu habeantur pro confessis, requiritur sententia declaratoria Judicis, per quam pronunciet, Reum, sine legitima causa, non respondiisse, vel contumacem esse; ut tradit *Gl. fin. in cit. c. 2. h. t. in 6. Franc. ibid. n. 19. Mascard. de probat. concl. 1177. n. 71. Borell. c. l. n. 35. Barb. c. l. n. ult.*

XIII. Ceterum sunt & alii modi, quibus tacite fit confessio. Veluti primò, si reus paciscatur cum accusatore; tum enim censetur fateri crimen. *l. Quoniam; 5. ff. De his, qui notant, infam. quod verum est, si aliquid præster, vel det, non si gratis id fiat. Hiltrop. cit. tit. 17. §. Quibus modis; & c. n. 3.* Secundò, qui Judicium dilationibus subterfugit, & declinare cupit, & aliquoties indulto sibi temporis spatio, intra quod comparere, & se purgare debet, non comparet, vel se absentat, censetur crimen, sive ea, de quibus accusatur, confiteri. *c. Nullus; 4. in fine. de præsumpt. c. Decernimus; 10. caus. 3. q. 9. nimirum interpretativè; ut addit Gl. in cit. c. Nullus; V. Confiteatur; & in cit. c. Decernimus; V. Manifestum.* Tertio, qui non contradicit allegatis in Judicio, habetur pro confitente. Quartò, qui renunciat liti, censetur tacite confiteri, se non habere jus, aut saltem existimare, se non habere. *Hiltrop. c. l. n. 8. & 9.*

XIV. Assertio tertia. Confessio quandoque fit simpliciter, quandoque adiecta qualitate, ut notat *Marant. p. 6. de ord. Judic. tit. de confess. n. 27.* Simpliciter fit, quando reus confitetur debitum; vel crimen purè, & sine aliqua qualitate restringente, aut excusante; & tunc fundata est intentio Actoris: quando verò adicitur aliqua qualitas, tunc dubium est, an possit pro parte acceptari, & pro parte negari. Et hoc casu, distinguendum est, vel enim contra qualitatem annexam confessioni est præsumptio aliqua juris, & tunc potest acceptari pro parte; ut si reus confiteatur, se occidisse hominem, sui defendendi causà, vel se dixisse verba contumeliosa, sine animo injuriandi: tunc enim statur confessioni ipsius contra se; non autem creditur ipsi, quoad illam qualitatem adjectam, nisi illa probetur: quia contra illam stat præsumptio juris, secundum quam quilibet occidens, vel dicens verba injuriosa censetur habere animum offendendi, nisi contrarium probetur. *l. 1. C. De Sircariis. l. Si non convitii; 5. C. De injuriis.* Vel contra talem qualitatem nulla est præsumptio juris: & tunc, si confessio qualificata continet unum tantum capitulum, seu articulum, debet tota acceptari, vel repudiari; ut si reus confitetur, se promississe Titio, daturum centum florenos, sed sub conditione; vel se recepisse centum florenos à Titio, sed sibi debitos ex causa mutui: hoc casu, confessio ista non præjudicat confitenti, quia non stat præsumptio juris contra confitentem. Si verò qualitas adiecta contineat plura capitula, seu articulos; ut si reus fateatur, quòd mutuos acceperit centum florenos à Titio, sed cum pacto ab eodem adiecto de non petendo illud debitum; & tunc acceptari potest confessio, quoad partem, videlicet debitum ex mutuo; pactum autem de non pe-

tendo debet reus probare, alioquin condemnatur. *Abb. in c. Bonæ; 4. n. 29. de postul. Pralat. Marant. c. l. n. 27.* Ubi tamen n. 28. monet, ut quando creditor, qui tibi mutuum dedit pecuniam, quam tu secretò, & sine testibus, restituiti, nullà acceptà syngrapha, mutuum repetit, tu respondeas, te nihil mutuo ab ipso accepisse, propter quod ipsi sis obligatus; sic enim neque falsum dicit, quia solutione debiti sublata fuit obligatio: neque poterit te Judex condemnare ad solvendum, sicut posset, si simpliciter confitereris, te mutuum accepisse, neque solutionem à te factam probare posses.

S. II.

De An positio super facto negativo, qualiter probari non potest, nisi per confessionem adversarii, sit admittenda? Et quomodo puniri possit is, qui confitetur crimen contingens causam principalem, vel incidenter illud confitetur in Iudicio?

XV. De priorè questione agit in *c. Statimus; 1. h. t. in 6.* Nam Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi statuit, ut positiones negativæ (propositas ab Actore) quæ probari non possunt, nisi per confessionem adversarii (sive Rei, dum ad eas respondet, confitendo, vel negando) admittere possint Judices (ordinarii, vel delegati, vel arbitrarij). *Gl. hic V. Judices.* si suadente æquitate videantur expedire.

XVI. Pro intellectu hujus c. Notandum primò. Ex longævo usu, priusquam veniatur ad probationes, tam Actor ex suo libello, quam Reus ex sua exceptione, præsertim verò Actor potest elicere quasdam positiones, easque adversario proponere in Judicio, ad quas tenetur respondere, mediante juramento, affirmando, vel negando, ut plurimum per verbum *credidit*, vel *non credidit*: quæ positiones ad hoc sunt inventæ, ut ponens per confessionem adversarii relevetur ab onere probandi. *Clement. 2. de V. S. paritio c. Dudum; 54. de elect. Gl. hic V. Statimus; & dictum supra tit. 5. num. 11.* Jam ergo, licet de juris rigore positio negativa non sit admittenda; quia stricto jure illud solum potest poni, quod potest probari: positio autem negativa, si non sit per circumstantias loci, vel temporis determinata, directè, & per testes probari non potest; ut dicitur infra tit. 1. per testes probari non potest; ut dicitur infra tit. 1. per testes tamen quandoque Judex, suadente æquitate, si ita expedire videatur, admittit, ut positiones negativæ ab Actore formentur: v. g. pono verum, quòd Titius nullum privilegium, aut dispensationem à Sede Apostolica habeat plura beneficia curata simul obtinendi, vel retinendi: & tunc Reus tenebitur ad talem positionem negativam respondere, vel confitendo; & hoc casu alia probatio necessaria non erit: vel negando; & tunc Judex potest compellere Reum ad adferendam probationem ejus, quod negavit, v. g. se

obtinuisse privilegium; vel dispensationem Pontificiam super pluralitate beneficiorum; quia, cum tunc Reus quasi excipiat contra positionem Actoris, tenetur hanc exceptionem suam probare: aliàs verò, si Reus respondere nolit, talis positio habebitur pro confessà, sive perinde erit, ac si eam confessus fuisset. *Gl. hic in princ. & in casu in notatis.*

Notandum secundò, Judex non debet indistinctè admittere omnes positiones, sed cum clausula: *salvo jure impertinentium, vel non admittendarum*, & super illis ferre interlocutoriã sententiam, quòd tales positiones sunt admittendæ, & tales, quippe impertinentes, rejiciendæ. *Gl. hic in princ. & Franc. n. 8.*

XVII. Ad posteriorem quæstionem quòd attinet, de illa agit in c. *Cum super*; 2. *extra. h. t.*, ex quo, juxta duplicem intellectum, ut notat *Abb. ibid.*, sumitur, quòd, si quis crimen contingens causam principalem confiteatur, coram suo Judice, puniendus sit pœnâ ordinariã, etiamsi directè contra illum non agatur: vel secundum alium intellectum, si quis incidenter crimen in Judicio confiteatur, potest Judex ordinariùs, novum inchoando processum, illum ordinariã pœnâ afficere. Casus autem hujus c. est iste: Inter duos in discordia electos ad Episcopatum lis orta fuit, in processu Judicii, cum testes examinarentur, Vitus Canonicus confessus fuit, quòd pro præstando assensu electioni alterius, 500. Saracenorum (genus est Moneta. *Hofsiens. hic V. eodem*) obligationem acceperit, & mediator extiterit Simoniacæ pravitatis. Quare Innocentius III. per sententiam definitivam eum ab omni officio, & beneficio Ecclesiastico deponendum pronuntiavit.

XVIII. Notandum primò. Dupliciter potest intelligi hoc c. ut notat *Gl. fin. hic, & Abb. n. 3. & 4.* videlicet, quòd Canonicus ille recepit in se obligationem solvendi pecuniam Regi, ut alterius electioni consensum præberet: vel quòd Canonicus ille promissionem, & obligationem alterius electi, qui promisit, se daturum ipsi 500 Saracenos, si electionis suffragium ipsi daret, acceperit: nam, qui aliquid temporale recipit pro suffragio electionis ad dignitatem, vel aliud beneficium Ecclesiasticum dando, Simoniã committit, & pœnâ ordinariã Simoniacorum puniendus est, cum jus suffragii, quippe spirituale, gratis dari debeat.

Notandum secundò. Quamvis, si confessio criminis incidenter solum in Judicio facta sit, non possit Reo imponi ordinariã pœnâ; ut in casu hujus c. pœnâ depositionis, propter crimen Simoniæ, quòd incidenter solum, & per accidens in Judicio cognitum fuit, sed pœnâ suspensionis tantum affici debet, qui tale crimen sponte confitetur; ut colligitur ex c. *Quam sit*; 9. de *excess. Prælat.* potest tamen Judex novum processum inchoare, & ex officio inquirere contra criminiosum, & producere priorem confessionem de crimine commissio incidenter antea factam ad probationem delicti, & pœnâ ordinariã depositionis inferendam. c. *Cum super*; 4. de *caus. poss. & propr. & tradit Gl. hic V. Confessis*; & sumitur ex c. *Nihilominus*; 16. *caus. 3. q. 9. & l. Jubeamus*; 24. *C. De probation.* Ut in casu hujus c. Papa Canonicum, qui in Judicio confessus fuit, etsi incidenter, se Simoniacum esse, sive Simoniã commississe, per sententiam

definitivam ab omni officio, & beneficio Ecclesiastico deposuit.

Sed huic decisioni obstare videtur *Textus in c. Inquisitionis*; 21. in *princ. infr. de accusat.* ubi habetur, quòd, quando proceditur per viam inquisitionis, non debeat infligi pœnâ depositionis ab officio, & beneficio, sicut quando proceditur per viam accusationis, sed poterit Judex imponere aliam pœnâ arbitrariam: nisi Simoniã fuerit commissã in Ordine suscepto, ita, ut impediret executionem Ordinis, etiam post peractam penitentiam, quia tunc character est vitiosus: vel nisi Simoniã commissã sit in beneficio obtento, quo casu, illud retineri non potest, sine periculo animæ, etiam post actam penitentiam: at verò in casu *cit. c. 2. h. t.* Simoniã non fuit commissã in ordine suscepto, vel beneficio acquisito, sed in electione alterius ad Episcopatum: ergo non debuit infligi pœnâ ordinariã depositionis ab officio, & beneficio; ut notat *Abb. in cit. c. 2. n. 8. h. t.* Verum in *cit. c. Inquisitionis*; non prohibetur, quòd minus Judex in hoc casu commissã Simoniã, ordinariã pœnâ depositionis inferre possit: sed tantum permittitur, quòd, quando proceditur per viam inquisitionis, Judex possit, spectatis circumstantiis personæ, & qualitate criminis, moderari pœnâ, & mitiorem ordinariã imponere, quamvis ad id non astringatur. *Abb. in cit. c. 2. n. 10. h. t.* præsertim verò S. Pontifex, ex plenitudine potestatis, crimen quomodocunque judicialiter cognitum, per viam accusationis, vel inquisitionis, principaliter, vel incidenter, potest punire, infligendo pœnâ ordinariã, etiam novo processu non instituto; sicut in casu *cit. c. 2.* Papa ex officio suo processit, per viam inquisitionis contra Canonicum, quia fuit mediator, seu cooperato Simoniacæ pravitatis, ad imponendam pœnâ depositionis ab officio, & beneficio, in odium hujus criminis. *Gl. ibid. V. Confessis.*

§. III.

De effectibus Judicialis confessionis, & revocatione eiusdem.

XIX. Quæritur primò. Quis sit effectus confessionis, quæ sit in Judicio? Respond. præcipuus effectus est, quòd non tantum plene probet, sed faciat etiam, ut confitens contra se habeatur pro Judicato, ita, ut talis confessio habeat vim sententiæ, & rei Judicatæ in causis civilibus, quoad ipsum confitentem. *l. unic. C. De confess.* nam confessus in Judicio habetur quasi propria sententiã condemnatus. *l. 1. ff. eod. juxta illud Christi Luc. 19. Ex ore tuo te judico*: cum nemo præsumatur contra se temere confiteri. Aliud est, si quis pro se, sive in favorem sui confiteatur; nam tunc ei fides non habetur. *Gl. in cit. l. unic. V. Solvere*; quia nulli in sua causa pro se creditur. *l. De etate*; 11. §. 1. *De interrog. act. V. Vesenb. in paratit. ff. h. t. n. 9.* cum nullus in propria causa sit idoneus testis. *l. Nullus*; 10. *ff. De testib.*

Porro nulla est major probatio, quam proprii oris confessio: idcòque dicitur plenissima probatio, & superat omne genus probationis, etiam per testes, & instrumenta factas, in favorem confitentis contrarium

trarium; & tollit præsumptionem juris, & de jure, contra quam licet aliàs probatio non admittatur, tamen admittitur probatio in contrarium per confessionem partis: imò etiam notorium inducit. Similiter quamvis aliàs, postquam conclusum est in causa, non admittatur alia probatio, admittitur tamen probatio per confessionem partis. *Marant. p. 6. tit. de confess. n. 21. & duobus seqq. Hiltrop. p. 3. tit. 17. §. De effectib. judic. confess. n. 2. & seqq.* Item, tamen aliàs, si processus nullus sit, propter ordinem juris non servatum, sententia valida ferri non possit: confessio tamen in Judicio facta valet, ita, ut ex ea ferri possit sententia, non obstante, quòd processus fuerit invalidus. *Marant. c. l. n. 24. Hiltrop. c. l. n. 9.* Alius denique effectus confessionis Judicialis est, quòd convictus, & simul confessus in Judicio appellare non potest. *l. 2. C. Quorum appellat. non recip. & ibi Gl. V. Propria.* Imò etiam confessus tantum sponte, & propria voce, etsi convictus non sit, regulariter in causis, sive civilibus, sive criminalibus appellare non potest. *Abb. in c. Cum speciali. 61. §. Porro; n. 5. de appellat. Covarr. pract. qq. c. 23. n. 5. concl. 2. de quod plurima infra suo loco.*

XX. An autem confessio Judicialis requirat sententiam definitivam Judicis, quæ ferri debeat contra confessum in Judicio, valde controversum est inter DD. nam aliqui negant, sed plures alii affirmant. Idque probant ex *l. Julianus; 3. ff. h. t. ubi dicitur, confessum condemnandum esse, quia pro judicato habetur; & docet Gl. in cit. l. unic. V. Solvere; n. 7. C. eod. Judicium enim semel cõceptum sententiã dirimendum est, & Judex, qui cognovit de causa, seu re, debet super eadem pronunciare. *l. De qua re; 74. ff. De Judiciis; & in l. fin. C. De execut. rei Judic. confessi, & convicti per probationes æquiparantur, & dicitur, quòd contra condemnatos fieri debeat executio; ubi Gl. V. Condemnari; ait, & confessos, & negantes, sed convictos, condemnari debere per sententiam. Non obstat, quòd in *l. Proinde; 25. in fine. ff. Ad leg. Aquil. dicitur, quòd nullæ partes sint Judicantis in confidentes: nisi in condemnando, sive, ut condemnatoria sententia feratur; ut explicat Gl. fin. ibid. quia nimirum non est opus probationibus, vel ulteriore inquisitione, aut cognitione, sed solum pronuntiatione, ita, ut non possit Judex sententiam ferre contra confessionem, sed secundum illam judicare debeat. *Hiltrop. c. l. n. 17. idque patet ex cit. l. 3. & l. Qui Stichum; 5. ff. h. t. ubi dicitur, qui Stichum se debere, confessus est, condemnandus est, scilicet in æstimationem. Gl. fin. ibid. Neque etiam obstat, quòd confessus in jure, seu Judicio pro judicato habetur. *l. 1. ff. h. t. & l. unic. C. eod. Quia additur quodammodo (id est) improprie, & non proprie damnatur sua sententiã; ut notat Gl. in cit. l. 1. V. Quodammodo; Confirmatur hæc sententia ex *c. 2. h. t. ubi, qui se Simoniacum in Judicio confessus est, jubetur per definitivam sententiam ab omni officio, & beneficio Ecclesiastico deponi.******

Alii verò DD. distinguunt; prout refert *Hiltropius c. l. n. 17. utrum confessio facta sit ante, an verò post litem contestatam: nam priore casu dicunt, non repui sententiam definitivam, sed sufficere præceptum Judicis de solvendo, juxta *l. unic. C. h. t. posteriore verò requiri, juxta cit. l. De qua re. ff. De Ju-**

dic. idque propter auctoritatem Judicis, quòd à lite contestata incipit, cum ante illam probationes non admittantur; adeòque neque cognitio Judicialis proprie fiat. Et ita intelligendas esse *l. 3. & 5. ff. h. t. allegatas supra pro affirmante sententia, ajunt hi Auctores, nempe de confessione factã ante litem contestatam; ut patet ex cit. l. Qui Stichum; 5. ibi. *Scilicet Stichum jam mortuus erat, sive post litem contestatam, ff. h. t. ergo confessio illa facta est, ante litem contestatam, & quòd postea additur, eum condemnandum esse intelligendum est, non per sententiam definitivam, sed per decretum Judicis de solvendo. *Hiltrop. c. l. n. 17.***

Alii denique aliter distinguunt, vel enim contra confessum in Judicio proceditur ordine Judiciali: & tunc ferre oportet sententiam: ordo enim Judiciali præcipue consistit in sententia, quæ ferri debet super confessione. *l. 3. 4. & 5. ff. h. t. Vel proceditur de plano, & sine forma Judiciali; ut in causis summaris: & tunc non requiritur sententia post confessionem, quo sensu intelligenda est *l. Postrem; 16. ff. De re Judic. & l. Certum; 6. §. fin. ff. h. t. sed sufficit præceptum Judicis de solvendo; ut quòd in Judicio confessus est, intra tempus lege prescriptum, præstet, juxta *l. Si debitori; 21. ff. De Indic. V. ubi in parat. ff. h. t. n. 8. Hiltrop. c. l. n. 20.***

Porò in eo omnes DD. consentiunt, quòd in causa criminali contra sponte confessum requiratur sententia definitiva, sive precedat confessio litem contestatam, sive sequatur. *l. Si confessus; 5. & ibi Gl. V. Pronunciatur; ff. De custod. & exhib. reor. quæ in causis criminalibus confessus non habetur pro condemnato; ob maximum præjudicium, & periculum, quòd in iis vertitur. *Abb. in c. At si Clerici; 4. n. 16. in fine, de Judic. Marant. c. l. n. 26. V. Vesen. c. l. nam. 8. Zaf. ff. h. t. n. 10. præsertim quia ad penam etiam ipso jure inflictam nemo obligatur ante sententiam; ut habet communis opinio.**

XXI. Quaritur secundo. An confessio facta in Judicio à parte litigante possit revocari? Resp. affirmativè, si revocetur incontinenti, & confessio à parte adversa nondum sit expressè acceptata; nam per acceptationem jus quaesitum adversario invito eripi non debet: alioqui vero revocari potest incontinenti, etiam si nulla causa erroris afferatur, vel ostendatur, dummodo alia contra confidentem mentis vacillantis præsumptio non sit. *Arg. c. Præterea; 7. de testib. sequend. ubi habetur, quòd testis errorem suum incontinenti corrigere possit: ubi *Abb. n. 4. ait, idem dicendum de parte incontinenti revocante confessionem latam, & sumitur ex *l. fin. juncta Gl. V. Iusta causa; de jurjur. in 6. Gl. in cap. Apud; 10. V. Revertitur causi. 32. q. 1. Secus est, si confessio revocetur ex intervallo; tunc enim non admittitur, nisi error probetur, antequam sententia lata sit. *c. ult. h. t. & l. Erroris; 7. C. de jur. & facti ignorant. sicut etiam testis ex intervallo non potest corrigere errorem suum. *Abb. c. l. Quòd si error probetur, confessio etiam deliberatè facta, & confirmata, imò & jurata revocari potest. *Ann. Gabr. commun. opin. lib. 1. de confess. conclus. 5. Zaf. ff. h. t. n. 12. non enim, qui errat, aut fallitur, perjuratus dici potest. *cap. Homines. 3. causi. 22. quasi. 1.*******

§. IV.

*An confessio unius criminosi facta in
Iudicio præiudicet aliis, ita, ut ea ad-
mittenda sit, & probet etiam ad-
versus alios socios cri-
minis?*

XXII. De hoc agitur in c. *Cum Monasterium*; l. h. t. Nam, cum Presbyter quidam in Iudicio confessus fuisset, se crimen homicidij commisisse, sed suggestione, seu iussu, ac consilio quorundam aliorum: quaesitum fuit, utrum illi alij ad confessionem Presbyteri illius, ob homicidium illud sint puniendi? Respondet Papa Clemens III. non esse puniendos, nisi alijs modis (scilicet legitimis, & evidentissimis probationibus, vel per propriam confessionem ab illis in iure factam, vel per evidentiam rei. *Gl. hic* v. *Alijs modis*.) confiteritur, eos Reos, seu noxios esse, quia secundum Jura Canonica, & civilia, nulli de se confesso credendum est contra alios, neque de se ipsi confessi super aliorum conscientijs interrogari debent, excepto crimine læsæ Majestatis. Veruntamen, si personæ illæ infamiæ hujusmodi criminis laborent, tum adhibitis tribus alijs, qui ejusdem ordinis sunt, purgatio Canonica eis indicenda est, ad amovendum scandalum. Quamvis hodie numerus compurgatorum relinquatur Iudicis arbitrio, juxta qualitatem criminis, vel infamiæ, & delinquentis, *Gl. magn. hic*, quod si tales compurgatores haberi non possunt, quales hic requiruntur, etiam aliæ personæ honestæ, & fide dignæ, etiâ scemine adduci possunt, que testentur de innocentia infamati. *Silvest. in summa. V. Purgatio. q. 5. de quo plura suo loco.*

Pro declaratione autem hujus c. nonnullæ quaestiones hoc, & seq. §. sunt expediendæ.

XXIII. Jam ergo quaeritur primò, An, & quando Reus de se crimen in Iudicio confessus, possit interrogari de criminis socijs, seu complicibus? Resp. Regulariter, & ordinariè id non esse licitum, sed prohibitum, utroque jure, quando socij criminis sunt occulti, quorum nulla præcedit infamia, nullaque indicia adsunt, nec aliqua probatio; ut constat ex *ur. c. l. h. t. & ex c. ult. caus. 15. q. 3.* ubi dicitur, nemini de se confesso credi super crimen alienum; ubi etiam additur: quoniam ejus, atque omnis Rei confessio periculosa est, & admitti adversus quemlibet non debet. Item in l. *fm. ibi*: Nemo de proprio crimine confitente super conscientia scrutetur aliena. *C. de accusat. & l. Reperi;* 16. *ibi*: Is, qui de se confessus est in caput aliorum non torquetur, *ff. de questionib. Jul. Clar. in pract. crimin. §. fm. q. 21. n. 3. Dicitur socij;* ex communi omnium sententia. Ratio est, tum quia, qui confessus est de se crimen in Iudicio, eo ipso fit infamis, & vilis, ac dubiæ fidei; ideoque à testimonio repellitur. *c. Testimonium;* 54. *de testib. & in l. Quoniam;* 11. *C. Eodem.* repelluntur testes, si socij, & participes criminis sint: tum quia ad id prohi sunt homines mali, ut optent habere socios delictorum, & peccatorum: tum ne fortè Rei veniam sperantes à Principe, ob favorem, vel privilegium alterius, illum nominent, vel quandoque etiam for-

te ex odio, vel inimicitia aliòve respectu, ut eodem nominatus afficiatur supplicio. *Farinac. in practi crim. p. 1. l. 1. tit. 5. q. 43. n. 8.*

XXIV. Limitatur autem tradita doctrina primò, ut non procedat in criminibus à Jure exceptis, & in quibus jus statuit, posse de se confessos interrogari de alijs socijs criminis, quæ ideo etiam crimina excepta appellari solent, quia in ijs non necessariò observari debent, quæ aliàs jure positivo de inquisitione aliorum criminum, & judiciario processu statuta sunt, v. g. ut aliquæ personæ inhabiles à testimonio dicendo repellantur, ut Nobiles, ac personæ in dignitate constitutæ non torquantur &c. Talia crimina excepta sunt, quæ valde perniciofa Reipublicæ sunt, & bonum publicum graviter lædunt. *Farinac. cit. q. 43. n. 56. & 57.* Cujusmodi est crimen læsæ Majestatis, *cit. c. 1. h. t. & c. ult. caus. 15. q. 3.* Crimen hæresis, *c. In fidei;* 5. *de heret. in 6.* Crimen veneficij, seu magiæ, cum sit delictum, cuius extirpatio spectat ad omnium salutem. *l. fm. C. de malefic. Crimen latrocinij,* & grassationis per vias publicas. *l. Divus;* 6. *ff. de custod. Reor. l. pen. C. de feriis.* Crimen sacrilegij. *Menoch. de arbitr. Iud. casu 474. n. 30. Farinac. c. l. n. 66.* Crimen simoniæ, in quo etiam socius criminis, & non muneris, testis admittitur, si non agatur criminaliter, sed civiliter. *c. 1. de testib. in 6. Menoch. c. l. n. 31. Farinac. c. l. n. 53.* Crimen falsæ monetæ, quod inter crimina læsæ Majestatis numeratur in l. 2. *C. de fals. monet.* Crimen assassinij. *cit. l. Divus. Menoch. c. l. n. 32. Farinac. n. 65.* in his omnibus, Reus de socijs criminis interrogari potest, propter immanitatem horum criminum. *Mascard. vol. 3. de probat. concl. 1311. n. 21. & plurib. seqq.* Denique etiam crimen furti inter excepta numeratur, non quidem secundum jura, sed per consuetudinem Iudicium secularium, qui deprehensum in uno furto examine solent de alijs furtis alibi commissis, quorum nulla indicia habent; idque propter magnam frequentiam hujus vitij, cui severius obviandum esse putant; ut refert *Jul. Clar. in practi. crim. §. fm. q. 64. Laym. l. 3. Theol. mor. tract. 6. c. 5. n. 5.*

Limitatur secundò in delictis occultis, & difficilibus probationis, in quibus plerumque de veritate aliter constare non potest, nisi per socios criminis: tunc enim, cum ob probationis difficultatem testes inhabiles admittantur, levioraque sufficiant indicia, ideoque etiam socij criminis admittuntur in testes, & consequenter etiam interrogari possunt. *Mascard. c. l. num. 37. Farinac. c. l. num. 68.* ubi ait, hanc esse doctrinam communiter receptam. Tale est crimen conjurationis, seu conspirationis, præsertim contra Principem, vel Episcopum, in quo etiam socij criminis testes admitti possunt. *c. ult. de testib. cogend.* Item, homicidium commissum domi, vel per venenum; furtum commissum de nocte, crimen suppositi partus, & universum omne aliud crimen occultum. *Farinac. c. l. n. 68. Menoch. c. l. n. 35.* rectè tamen notat *Farinac. c. l. n. 74.* hoc non in omni casu, in quo veritas aliter haberi non potest, nec in omni delicto occulto, & difficilis probationis locum habere; sed tantum in eo, quod vel ex sui natura committitur cum pluribus, ut conjuratio, vel quando ex particularibus indicijs, vel alijs circumstantijs verisimile est, Reum socios habuisse.

XXV. Limitant tertiò DD. ex Bartolo apud *Farinac. cit. q. 43. n. 105.* ut non procedat supra tradita regula in delictis, quæ non committuntur principaliter in alterius injuriam, & odium, sed in commodum ipsius delinquentis; ut est falsare monetam, furari, vel prædari; & tunc potest Reus de socijs interrogari: secus de ijs delictis, quæ principaliter committuntur in alterius injuriam, vel odium, ut est homicidium: tunc enim non potest Reus, etsi de se confessus, interrogari de socijs. Verùm hæc distinctio ab alijs communiter rejicitur, cum ex jure certum sit, in homicidio servos interrogari posse de socijs. *l. 1. §. fin. ff. de question.* quod tamen principaliter committitur in alterius injuriam, *Menoch. cit. casu 474. n. 17. Mascard. cit. concl. 1311. n. 3. Farinac. c. l. n. 106.* Unus tamen est casus, in quo Reus semper interrogatur, & torquetur, si nimirum ex criminis qualitate, aliisque circumstantijs appareat, quòd Reus delictum commiserit, non suâ causâ; quia ipse nihil interest, sed ex alterius mandato: tunc enim solet interrogari, & torqueri ad manifestandum mandantem. *Clar. c. l.*

XXVI. Limitatur quartò, in delictis, quæ suâ naturâ talia sunt, ut non possint, vel saltem communiter non soleant committi sine socio, uno, vel pluribus: tunc enim potest Judex Reum confessum interrogare de socijs. *Farinac. c. l. n. 107. & 109.* cum necessarium sit ad delictum specificè cognoscendum, ut intelligatur, cum quo, vel quibus commissum sit; tale est crimen sodomix, adulterij, stupri. *Laym. cit. c. 3. n. 8.* addit *Farinac. c. l. n. 110.* quòd Reus possit interrogari de socijs, etsi delictum, suapte naturâ, non soleat cum pluribus committi, ad sint tamen indicia, quòd ad illud plures concurrerint, v. g. quòd plures hominem occiderint.

Limitatur quintò si non criminaliter, sed civiliter agatur de crimine, v. g. contra partum suppositum, ad excludendum eum ab hereditate: tunc enim socij criminis admittuntur tanquam testes, non quidem ad plenam probationem, sed tantum ad præsumptionem, si quidem fuerint de crimine emendati. *Menoch. c. l. n. 66. & 67. Mascard. c. l. n. 55. & fusiùs Farinac. c. l. n. 111. & plurib. seqq.*

Limitatur sextò, si crimen non sit merè præteritum, sed futuro tempore committendum, cum damno Reipubl. vel etiam privatae personæ; ut, si aliqui conjurarunt ad prodendam civitatem, vel hominem occidendum: tunc enim etiam socij criminis interrogari possunt, & testificari contra Reum confessum. *Laym. c. l.*

XXVII. Queritur secundò, quæ requirantur, ut Judex in prædictis casibus, Reum de se confessum juridicè interrogare possit de socijs criminis? Resp. Ad hoc, ut Reus confessus crimen in Judicio interrogatus, & denunciatus, seu nominans socios criminis fidem faciat contra illos, plura requiruntur. Veluti primò, ut Judex non interroget in specie, seu individuo de certa aliqua persona, v. g. an Titius fuerit socius, vel particeps criminis, sed tantum in genere, an Reus confessus habuerit socios criminis, alioquin, si de aliquo in individuo fieret interrogatio, id esset potius suggerere, quàm inquirere. *l. 1. §. Qui questionem. ff. de question.* Excipe, nisi adsit legitima præsumptio contra certam aliquam personam, ob quam suspecta est de crimine; quia nimirum adsunt publica indicia parti-

cularia contra illam: tunc enim de illa etiam in particulari interrogari potest. *Menoch. cit. casu 474. n. 11. Mascard. cit. concl. 1311. n. 39. & 40. Farinac. cit. q. 43. n. 132. & 133.* Cum enim Judex hoc casu specialem inquisitionem facere possit, poterit etiam id inquirere ex ipso Reo, seu criminoso. Vel nisi Reus jam in Judicio confessus sit, se cum socijs deliquisse, etsi nominat eorum non expresserit; tunc enim ulterius petere potest Judex, ut eos nominet in specie: alioquin denunciatio sociorum in Judicio imperfecta, & frustranea esset. *Farinac. c. l. n. 132. in fine.*

XXVIII. Requiritur secundò, ut Reus, qui socios criminis, sive ante tormenta ultro denunciavit, sive in ipsis tormentis, cum etiâ de se confiteretur, eandem denunciationem, sive depositionem postea in tortura confirmet, quia non est ipsi fides habenda, nisi si per hac ipsa denunciationem postmodum torquetur, appareat, quòd in ea persistat, sive, an in denunciatione constans, & non varius sit, idque ob commodum, & favorem denunciati, ne fortè innocens periculum incurrat, prout expressè habetur in *l. Ob carmen. 2. §. Si ea. ff. de testib.* ubi dicitur: Si ea Rei conditio sit, ut arenarium testem, id est, qui in arena cum bellis pugnabat, vel similem (vilem) personam admittere cogimur, sine tormentis, testimonio ejus credendum non est. Ratio est, quia talis Reus nominans, seu denuncians socium criminis jam est infamis, propter confessionem delicti à se factam: sed infamis nunquam admittitur in testem, nec ei creditur contra aliquem sine tortura. *cit. l. Ob carmen. §. Si ea. c. Illi qui. 2. caus. 5. §. 1. c. Inprimis. 7. in fine caus. 2. q. 1. Menoch. c. l. n. 10. & 11. Mascard. c. l. n. 38. Clar. cit. q. 21. n. 11. Farinac. c. l. n. 134.*

Nec obstat, quòd confessio facta in tormentis confiteatur vi extorta, aut metu facta. *Arg. l. 1. §. Questioni. ff. de questionib.* ubi dicitur, quòd alij tantâ sint impotentia, ut quidvis mentiri, quàm pati tormenta velint; ita fit, ut etiam vario modo fateantur, ut non tantum se, verùm etiam alios criminentur: adeoque confessio in tormentis facta non valet, quia non est sponte facta. Nam hinc solùm rectè inferitur, quòd Reo de se confessio, si per tormenta adactus prodatur socium criminis, credendum non sit: ideòque Reus ducendus erit die, v. g. sequente, ad locum Judicij, ut coram Notario, ac testibus, depositionem, sive denunciationem sociorum criminis in tormentis à se factam, sponte, & sine omni tormentorum metu ratificet; prout ratificanda etiam est ipsa principalis delicti confessio. *Farinac. c. l. n. 138.*

XXIX. Requiritur 3. Ut Reus denunciatio socij criminis juramento confirmet, quia, cum in civilibus non adhibeatur fides testi sine juramento deponenti; ut patet ex *tit. infr. de testib. ff. & C. eod.* multò minus in criminalibus non jurato credi debet, in præjudicium alterius, cum in his clariora indicia, & probationes exigantur. *Menoch. cit. casu 474. n. 60. Mascard. cit. concl. n. 47. Farinac. cit. q. 43. n. 141. Clar. cit. q. 21. n. 10.* ubi subdit, sufficere, quandocumque interveniat juramentum, sive ante torturam, sive post, in confrontatione faciendâ coram denunciato, contra quem juratus deponit. Neque refert, quòd denunciatus, sive deponens contra socium criminis sit Reus; Reo autem etiam non jurato creditur: nam, licèt sit Reus quoad se ipsum; adeòque ipsi etiam non jurato credatur, quatenus de se confiteatur: non tamen est Reus, quatenus

tenus deponit contra alium, eumque denunciatur; sic enim fungitur vice testis, seu denunciatoris; ac proinde neque illi, quatenus de alio confitetur, seu contra alium deponit, fides habenda est, sine juramento, ex generali, & recepta doctrina Juris: quod ei, qui in Judicio deponit, vel asserit aliquid in alterius præjudicium, fides habenda non sit, nisi jurato. *Menoch. c. l. Clar. c. l.*

Addunt tamen DD. cit. in quibusdam locis, aliam esse praxin, & consuetudinem, ut nimirum criminosis de se confessis, si socios criminis denunciant, fides habeatur, etiam sine juramento; quia non satis tutum censetur tales, præsertim veneficos, & sagas, sub juramento cogere ad veritatem dicendam, propter periculum perjuri, & inconstantiam eorum: quæ praxis servari debet, ubi viget; ut aiunt DD. cit. nec damnari potest, dummodo propter defectum juramenti, minor fides adhibeatur tali denuncianti criminis, cum juramentum adhibeatur ad confirmandum dictum, ut major ei fides adhibeatur;

XXX. Requiritur quartò, ut denunciatus socii criminis nullam inimicitiam gerat cum denunciato; quia periculum foret, ne vindictæ causâ ipsum denunciaret; ideoque nullam fidem meretur, nec quidem in criminibus exceptis. *Menoch. c. l. n. 55. Mascard. c. l. n. 41. Farinac. c. l. n. 179.* Idque sumitur ex recepta doctrina, quod inimicus capitalis etiam in criminibus exceptis non admittitur ad testificandum; ut constat ex *c. Per tuas; 32. junct. Gl. V. Inimicitias de simon. adeoque neque ad accusandum, vel denunciandum.*

Requiritur quintò, ut criminis in suis depositionibus, seu denunciationibus contra socios criminis sit constans, & non varius, aut contrarius. Vnde, si Reus, post præstitum juramentum de veritate dicenda, interrogatus de sociis criminis neget, se socios habuisse, vel illos reticeat: postea verò intra, vel extra torturam, socios nominet, & denunciat, non debet ei fides haberi, quia sibi contrarius est in suis dictis, imò & perjurus: neque enim fidem meretur, qui asseverat, quod prius negavit: sicut enim prius mentium se fateretur, ita non minus jam mentiri potest. *Farinac. c. l. n. 185.* ex communi sententia.

XXXI. Requiritur sextò, ut Reus de se confessus, præter eum criminis defectum, non sit aliunde infamis, vel alijs criminibus notatus, ob quæ inhabilis sit ad testificandum, vel tanquam minus dignus repelli possit à testimonio ferendo; quia v. g. est persona vilis, aut inops, lusor, vel potator, &c. *Menoch. c. l. n. 54. Farinac. c. l. n. 178. Mascard. c. l. n. 41.* nam, quod Reo de se ipso crimen confessio, si interrogatus socium denunciatur, in criminibus exceptis, & perniciosus, v. g. veneficio, fides habeatur, est exceptio à communi regula, & constitutio exorbitans ab ordinaria lege in utroque jure lata; ut patet ex supra dictis: atqui lex exceptiva, & exorbitans à jure communi non debet extendi, sed strictè eam interpretari oportet. *l. Quod verò; 14. ff. de legib. & reg. que à jur. 28. de R. I. in 6.* multò magis non est tanta fides habenda hujusmodi indignis personis, quanta honestis, præsertim in grave præjudicium tertij, cum hoc jus naturale dicitur.

Requiritur septimò, ut denunciatio facta à criminoso contra socios criminis, non sit mera, seu nuda, sed adminiculara, id est, adjuncta alijs conjecturis, seu indicijs commissi criminis, ob quæ verisimilis videretur;

Tomus II.

qualia sunt infamia personæ denunciatæ, locus, tempus, modus, aliæque circumstantiæ, ex quibus aperte connexis societas criminis verisimiliter apparet. *Menoch. c. l. n. 43. & seqq. Mascard. c. l. n. 52. Farinac. n. 145. & seqq.* Vnde si socius criminis, sive persona denunciata sit honesta, & bonæ famæ, minimèque suspecta, tunc tali criminosa, & suspecta denuncianti non est fides tribuenda, nisi concurrant alia indicia, seu præsumptiones in contrarium, quæ superent bonam famam personæ denunciatæ. *Menoch. c. l. n. 42. Mascard. n. 16. & seq. Farinac. n. 187. & seq. de quibus plura §. seq.*

S. V.

Utrum confessio, vel denunciatio facta à criminoso de sociis criminis, sola, absque alijs indicijs, sufficiat, ut Iudex ex officio procedere possit ad specialiter inquirendum, citandum, capiendum, vel etiam torquendum personas denunciatas?

XXXII. Assertio I. Si Reus crimen confessus in Judicio, ad interrogationem Judicis, socium criminis denunciatur, tum in criminibus non exceptis (quia de exceptis nullum est dubium, quin in illis jure permilla sit interrogatio de socijs criminis) talis denunciatio, nullo alio concurrente indicio, non sufficit, ut Iudex procedere possit ad speciale inquisitionem de persona denunciata; ut ex communi docet *Menoch. cit. casu 474. num. 24. Mascard. cit. concl. 1311. n. 11.* Ratio est, quia spectato jure communi, Iudex in hujusmodi criminibus non exceptis, non potest interrogare Reum de socijs criminis, juxta *c. 1. h. i. & l. ult. G. de accusat.* Cum ergo talis interrogatio à Judice facta sit contra prohibitionem utriusque juris, consequenter etiam talis confessio, & denunciatio Rei, seu criminosi respondentis illegitima erit, & contra prohibitionem juris: adeoque etiam Iudex non poterit ex illa procedere ad specialiter inquirendum de persona denunciata; cum Iudex non possit instituire specialem inquisitionem de certa persona; sine præcedente infamia, vel indicio aliquo legitimo, ex doctrina communiter recepta. Quare, quando DD. absolute dicunt, quod confessio, & denunciatio socij criminis à Reo facta, in criminibus non exceptis, sola sufficiat ad inquirendum, etiam specialiter super delicto, id non est intelligendum, quando Reus est interrogatus à Judice, sed, si vel secundum consuetudinem Tribunalium, in quibus Judices quoscunque Reos confessos de socijs interrogare solent: vel etiam, si secundum Jus commune, Reus sponte socium denunciatur in Judicio, & non interrogatus à Judice; tunc enim talis denunciatio sufficit ad inquisitionem specialem de persona denunciata, quia tunc denunciatio socij non recipitur, ut dictum, seu depositio testis, sed tanquam denunciatio, vel accusatoris, qui tantum aperit viam Judici ad inquirendum, qualis esse potest quilibet homo vilis, & infamis,

M m 2

vel

tionem etiam plures, criminoforum, vel sociorum criminis, seu complicitum, non potest Judex procedere ad condemnationem personae denunciatae, quae antea bona, ac integra fama fuit, nec ex specialibus indicibus de crimine suspecta erat, nisi illud in Judicio fuerit confessum. *Tanner. l. c. n. 24.* quia ad condemnandum reum non confessum de crimine ex ipsa rei natura requiruntur indicia, ac probationes certae, & indubitatae. *Tann. l. c. n. 25.*

§. VI.

De Confessione extrajudiciali, eiusque effectu.

XXXVI. Quaritur primò. Quem effectum habeat confessio extrajudicialis in causis civilibus, si producatur in Judicio in vim probationis? Resp. confessio extra Judicium facta in civilibus, parte adversa praesente, & adiecta causa specialiter expressa, v. g. confiteor, me debere centum Titio, ex causa accepti mutui; si probata sit per duos testes, facit plenam probationem, in praedictis consistens, imò, & heredis ipsius: nisi confitens evidenter probet, se indebitè promississe, aut per errorem confessum fuisse indebitum. Secus, si causa non sit specialiter expressa: ut si confiteatur quis, se debere Titio centum, & non exprimat, ex qua causa, v. g. an ex causa emptio-nis, depositi &c. talis enim confessio non probat plenè contra confitentem; ut colligitur ex *c. Si cautio; 14. de fide instrum. & l. Cum de indebito; 25. §. fin. & ibi Gl. V. Indiscretè; id est, causam non adiectam, ex qua debeatur. Marant. p. 6. de ord. Judic. tit. de confess. n. 2. & 11. Mascard. de probat. vol. 1. concl. 345. n. 1. & concl. seq. n. 1. Ratio est, quia obligatio dandi, vel faciendi aliquid, ipsumque jus, & actio petendi non oriuntur, nisi ex causa, seu titulo: cum itaque nulla expressa sit, praesumitur, per errorem promissionem, vel confessionem emanasse. Si verò confessio facta sit, extra Judicium, etiam adiecta speciali causa, sed absente parte adversa, ea non plenam, sed semiplenam tantum probationem facit, dummodo saltem per duos testes probetur; alioquin nullam omnino probationem facit, nec indicium. *Marant. c. l. n. 2. 12. & 13.**

Porro, quamvis aliqui DD, ut confessio facta extra Judicium obliget confitentem, requirant; ut sit acceptata a parte praesente; communior tamen sententia Canonistarum negat, requiri acceptationem partis: quia, cum talis confessio fiat in favorem praesentis, praesumitur acceptatio ex parte illius. *Mascard. vol. 1. concl. 346. n. 14. & 15. ubi n. 16. id limitat, quòd requiritur partis acceptatio, ad hoc, ut confitens non possit confessionem suam revocare; quamvis parti praesenti jus acquiratur ex tali confessione, etiam si non fuerit ab ea acceptata, modò fuerit praesens.*

XXXVII. Limitatur autem assertio supra posita, quòd confessio extrajudicialis, parte praesente, facta plenè probet, parte absente verò, semiplenè tantum, Primò, nisi confessio extrajudicialis, praesente adversario, facta sit, non ad obligandum, sed ad liberandum; ut si v. g. Titius dicat Cajo, confiteor, te nihil mihi debere: tunc enim plenè probat talis confessio liberationem, etiam si causa non sit ex-

pressa. *Marant. c. l. n. 6. Mascard. cit. concl. 346. num. 27.* quia confessio liberatoris facta ab eo, qui remittere potest debitum, continet vim pacti, & liberationem debiti inducit. *l. Tale pactum; 40. ff. De pact.* Confessio verò extrajudicialis liberatoria facta, parte absente, non probat plenè, etiam si per duos testes probetur. *Marant. c. l. n. 12. Mascard. concl. 347. n. 61.* ubi ait, hanc sententiam esse magis communem. Ratio est, quia testes non faciunt talem confessionem Judicialem, nec habere majorem vim, sed tantum probant, eam factam esse. Praeterea hujusmodi confessio continet speciem quandam donationis, quae antequam fuit acceptata, non est firma, ita, ut licitum sit promittenti recedere ante acceptationem: ac proinde liberum etiam illi erit revocare ejusmodi confessionem. *Zaf. h. t. n. 16.*

Limitatur secundò. In confessione ex causa mutui, etiam praesente parte, facta; quia talis confessio non probat plenè, si exceptio non numerata pecuniae objiciatur intra biennium, nisi aliter probetur numeratio facta. *rot. tit. C. De non numer. pecun. Marant. c. l. n. 9. Mascard. cit. concl. 346. n. 22.*

Limitatur tertio. Nisi confessio extrajudicialis facta sit in instrumento, seu in scriptis, etiam parte absente: tunc enim plenè probat contra confitentem. *l. Generaliter; 13. C. De non numer. pecun. Mascard. cit. concl. 344. n. 81.*

XXXVIII. Limitatur quarto. Nisi confessio extrajudicialis fuerit jurata: tunc enim plenè probat, etiam in absentia parris facta; quia ratione juramenti appositi censetur quis deliberatè, & ex certa scientia ad actum accessisse. *Mascard. cit. concl. 347. n. 69. & seq. Gabriel. comm. opin. l. 1. tit. de confess. concl. 1. n. 41.*

Limitatur quinto. Nisi talis confessio facta, absente parte, fuerit geminata, non uno, & eodem tempore, sed ex intervallo: quia tunc aequiparatur Judiciali confessioni, ac proinde plenam probationem facit: repetitio enim confessionis supponit deliberationem, & geminata confessio, vel promissio, etiam non expressa causam, parit actionem. *Marant. c. l. n. 15. Mascard. cit. concl. 347. n. 37. & seqq.*

Limitatur sexto. Quòd extrajudicialis confessio plenè probat, quando fit per verba dispositiva; secus, si per verba narrativa, quia tunc non probat; ut si quis dicat: potest esse, quòd debeam Titio centum. *Mar. c. l. n. 4.* Plures limitationes videri possunt apud Auctores citatos.

XXXIX. Quaritur secundò. Quid operetur confessio facta in testamento, vel alia ultima voluntate? Respond. confessio à testatore facta gravi morbo laborante plenè probat, sive ea spectet ad se obligandum, sive ad liberandum, nisi ante mortem revocata fuerit. *Mascard. de probat. concl. 359. n. 3. & 4.* Ut si v. g. quis fareatur in testamento, se Titio debere centum florenos, vel debitum sibi solum esse à Cajo; ea confessio fidem facit, & plenè probat, etiam contra heredem; quia quilibet, in articulo mortis existens, non praesumitur temere aliquid asserere in sui praedictum, nec immemor salutis aeternae velle mentiri, & mori in peccato. *Mascard. c. l. n. 4. Zaf. ff. h. t. n. 18. ubi tamen, n. 19. addit, quòd confessio debiti non videatur obesse heredi, nec illum obligare, si de causa debiti non appareat. Similiter si confes-*

fitio spectet restitutionem injustè ablatorum, in exonerationem conscientie, ea servanda est, nec revocari potest, etiamsi jurata non sit; nam talia sunt restituenda, quòd aliena habeantur. *Marant. c. l. n. 16. Mascard. c. l. n. 13. & 25. Zaf. c. l. n. 21.* Quando verò confessio testatoris vergit in præjudicium alterius, nihil probat. Sic confessio defuncti non præjudicat creditoribus, etiamsi facta sit ab eo in extremis existente, & non obstante, quòd nemo tunc temporis censetur immemor esse salutis suæ, aut temere quid effutire; quia nulli creditur in præjudicium tertii. *Arg. l. Verba; 6. C. De testament. Zaf. c. l. n. 22.* Et hinc, etiamsi pater in testamento confessus est, filium commisisse ingratitude, & propterea eum exheredavit, ob unam, vel plures ex causis iure expressis: hoc casu, non est credendum assertioni patris: sed heres tenetur probare allegatam causam, vel causas ingratitude esse veras; quia præsumptio est pro filio; ut ex communi tradit *Jul. Clar. l. 3. sentent. §. Testamentum; q. 40. n. 5.*

XL. Queritur tertio. Quid operetur, siue quem effectum habeat confessio extrajudicialis in causis criminalibus? Respond. ea facit tantum indicium sufficiens ad torturam contra consistentem, si producat in iudicio; prout sumitur ex *c. Olim; 25. de rescript. idque siue, parte præsentis, facta sit, siue absente. Felin. in cit. c. Olim; n. 2.* ubi tamen plures casus adfert, in quibus confessio extra iudicium plenè probat, etiam in criminalibus. *Marant. c. l. n. 3. Mascard. de probat. concl. 349. n. 4. & 5. VVesemb. in parat. ff. h. t. n. 10.* Non verò talis confessio probationem, nec semiplenam facit ad condemnationem. *Hiltrop. cit. tit. 17. §. Extrajud. confess. n. 3.* Sed neque confessio extrajudicialis sufficiens indicium facit ad torturam contra alium, siue tertium, imò vix sufficit ad purgationem indicendam. *VVesemb. c. l. Hiltrop. c. l.*

XLl. Ceterum ad confessionem extrajudicialem, prout illa opponitur ei, quæ fit in iudicio, seu foro externo, & contentioso, revocari potest confessio, quæ fit Sacerdoti in foro pœnitentiæ ad

exonerandam conscientiam, quæ nihil omnino probat, si producat in iudicio. *Mascard. de probat. vol. 1. concl. 377. n. 1.* ex communi sententia Canonistarum; quia talis confessio fit Deo, non homini, sive non ut homini, sed ut Sacerdoti, & Dei Vicario, *c. l. de offic. iud. ordin.* Quare, si quis Sacerdoti in foro Sacramentali pœnitentiæ confessus sit, se homicidium, adulterium, vel aliud crimen commississe, illudque postea patefactum fuit, vel ab ipso Sacerdote, vel ab alio, qui fortè peccata in confessione Sacerdoti facta audivit, tunc talis confessio consistenti nulli præjudicat, neque probat quippiam in iudicio seculari, etiamsi ii, qui audiverunt, testimonium dicant coram iudice. *Mascard. c. l. n. 3.* Pœna autem Sacerdotis verbo, vel signo, vel alio quovis modo revelantis peccata in confessione excepta, habetur in *c. Omnia utriusque; 12. infr. de pœnit. & remiss.* videlicet, ut talis non solum à Sacerdotali officio deponatur, sed etiam in arctum Monasterium (vel carcerem) ad agendam perpetuam pœnitentiam detrudatur. *concl. c. Sacerdos; 2. dif. 6. de pœnit.*

Excipiuntur tamen duo casus, in quibus Sacerdoti licet revelare ea, quæ in confessione audivit, quorum unus est, quando pœnitens expressè licentiam dedit Sacerdoti revelandi ea, quæ in confessione audivit. *Mascard. c. l. n. 9.* quia licet pœnitenti renunciare favori pro se introducto. *l. Si quis; 19. c. de pœnit. dummodo Sacerdos, qui dicit, se licentiam habuisse manifestandi peccata, sit bonæ famæ, ac rite dignus, & iuramento confirmet, se ea revelasse exacte ipsi concessa à pœnitente, neque hic ipsi contradicat. Mascard. de probat. concl. 1286. n. 2. 3. & 4.* Alter casus exceptus est, si Sacerdos peccata pœnitentis aliunde, siue aliâ viâ, extra confessionem, antea vel post illam, cognovit: quo tamen casu Sacerdoti dicenti, se ea extra confessionem audivisse, non est habenda fides, nisi id probet: alioquin, si non probet, arbitrio iudicis, extra ordinem puniendus erit, ut docent communiter Canonistæ.

TITULUS XIX.

DE PROBATIONIBUS.

Si Reus Actoris positiones non confiteatur, sed neget, probatione est opus, Actorque eas probare debet. *l. Actor; 23. C. De probation. idcirco post Titulum de Confessis rectè subjicitur hic Titulus, in quo agitur de probationibus in genere, priusquam de singulis probationum speciebus agatur. Nec obstat, quòd confessio in iudicio facta sit quoque species probationis. c. Cum ad Sedem. 15. de restit. spoliat. adeoque prius de probationibus in genere agendum fuisset, quàm de confessione. Nam confessio, propriè loquendo, non est probatio, sed potiùs probationis relevatio, ad quam non pervenitur, nisi in defectum confessionis: ideoque rectè prius agitur de confessione, quàm facta, non est opus aliâ probatione: Abb. ad rubric. h. t. n. 3. Idem Titulus reperitur in Clementinis.*

S. I. Quid